C. 1 1628

52 53 57

VOTA ET MOTIVA

EXTRACTA A LIBRO MOTIVORVM DE ANNO M.DC.xxviij. A PROCESSV cisterno Ioannis Martin, in articulo Iurisfirmarum.

IN Processu,& causa in Curia Domini Iustitiæ Aragonum,habito,actitato,& existente, intitulato processus Ioannis Martin, Regij Alguacirij, Cæsaraugustæ domiciliati,super apprehensione cisternus, in articulo iurisfirmarum, interuinientibus in Camerã Consilij Domini Iustitiæ Aragonum, Illustrissimo domino Don Luca Perez Manrique Iustitia Aragonum, & Illustribus Dominis Ioanne Francisco Iubero, Ioanne Sanz de Armora, Ferdinando de Azcon, Gaspare Lupertio Tarazona,& Vincentio de Hortigas, Locumtenentibus prædicti Illustrissimi domini Don Lucæ Perez Manrique, Militis Maiestatis domini nostri Regis Consiliarij,ac Iustitiæ Aragonum: existenteque dicto,& præintitulato processu in deliberatione super sententia diffinitiua in eo ferenda. Tres ex dictis Dominis quinque Locumtenentibus, fuerunt voti, & opinionis, quod tenetur,& debet pronuntiari, & recipi propositionem iurisfirmæ, oblatam pro parte Petri Colon prin. P. Murillo procura. in cuius locum fuit reposita Elisabet Baylo prin. eiusdem P. Murillo proc. sub fideiussoribus præstitis, & alijs arbitrio nostro præstandis, cæteris propositionibus iurisfirmarum reiectis,& repulsis, neutram partium in expensis condem-

demnando, cætera supplicata locum non habere. EX EO, & aliàs, quoniam constat Matheum Martinez fuisse dominum, & possessorem bonorum in præsenti processu apprehensorum tempore mortis, & virtute testamenti ab eo facti, & in præsenti processu exhibiti, bona de quibus in eo agitur peruenisse in Ioannam Visiedo, eius vxorem, & hæredem vsufructuariam, ab eo relictam cum onere disponendi, & restituendi eadem bona Nicolao Matheo Martinez, filio dictorum coniugum: constat insuper prædictum Nicolaum Matheum Martinez paternas ædes in hoc processu apprehēsas vendidisse Petro Colon, in cuius locum reposita est Elisabet Baylò, illiusque vxor prin. P. Murillo proc. & hoc accedente consensu dictæ Ioannæ Visiedó eius matris, eamque renuntiasse in fauorem dicti Petri Colon emptoris, omnia iura quę illi competere poterant virtute dicti testamēti: Quo fit vt quasi sublato impedimento omnino reddatur valida prædicta venditio, ac per consequens propositionem iurisfirmæ ab eo oblatam recipiendam fore existimamus: Neq; obstat, quod cum prędicta Ioanna Visiedo existeret obligata mediante instrumento publico comandę, in fauorem Ioannis Martin, ante confectionem præfatæ vēditionis, renuntiatio ab ea facta, & consensus præstitus in dicta venditione videantur adhibiti fraudandi creditores gratia, & quod inicum sit hoc pacto ius quęsitum creditori auferre. Quia respondetur, quod adhoc vt in fraudem creditorū alienatio, vel renuntiatio facta intelligatur duo copulatiuè requiruntur; primum, quod creditores effectu, & re ipsa fraudentur eo, quod debitor non sit soluendo; alterum, quod creditores fraudandi animum habuerint, quem quidem non habuisse dictam Ioannam Visiedo. EX EO manifestè colligitur, quod huiusmodi renuntiatio iuris temporalis, quam fecit duplici ex causa procedere posit: nempè; vel vt creditores fraudaret, vel vt pleniorem fidei obsequium iure præstaret

ret pręsentanea, & celeri fideicommissi restitutione. In dubio præsumere debemus bonam fidem, huic restitutioni subesse, & matrem non eo animo fuisse vt creditores fraudaret, sed pietate motam, erga filium, & grato animo, erga virum, & vt plenius eidem obsequium præstaret ad restitutionē fideicommissi festinasse coniecturamus. Itaq. maternæ pietatis, & maritalis affectus; omnē prorsus fraudis pręsumptionem excludit. Nec est, quod creditor iuste conqueri; possit auferri, sibi ius quæsitū cum debet esse non ignarus conditionis eius, cum quo contrait, ac debuerit, sibi securius cauere, & non suam pecuniam credere sub hipoteca iuris temporalis: hanc igitur præsumptionem tanquam magis equam, & delicti exclusiuam amplecti debemus, pro vt non semel eandem amplexam in superioribus huius Regni subselijs vidimus. NON denique obstat, quod huiusmodi renuntiatio a matre facta, non videatur fauorem filij respicere, sed extranei emptoris. Quia respondetur, quod cum renuntiatio ad valorem venditionis necessaria eidem adhibita fuerit eius contemplatione facta, præsumitur huius lucro, & comodo venditio cedit: maximè cum per venditionem filij constitutum in necessitatibus ipsum cōsideramus, & hac occasione mota matre prædictæ renuntiationi consensisse dicendum sit: ac per consequens ipsius filij, ad quem precium rei venditæ peruenit, & aliàs atten. cont. Et duo ex quinque dominis Locumtenentibus desuper nominatis, fuerunt voti, & opinionis, quod debet pronuntiare, & recipi propositionem iurisfirmæ, in præsenti processu oblatā pro parte Ioannis Martin prin. P. Tormon proc. sub fideiussoribus præstitis, & alijs arbitrio nostro præstandis, cæteris propositionibus iurisfirmarum reiectis, & repulsis, neutram partium in expensis condemnando, cętera supplicata locum nō habere. EX EO & aliàs, quia cum Ioanna Visiedo virtute testamenti eius mariti, esset vsufructuaria bonorum apprehensorum,

forum, & vsumfructum acceptauerit non potuit, postea in præiuditium creditorum vsufructum cedere, aut renunciare, maximè in fauorem emptoris extranei. Neq. obstat, precium venditionis fuisse receptũ à Nicolao venditore, filio eiusdem mariti, cui tenebatur Ioanna eius mater, dicta bona restituere, quia cum venditio, & receptio pretij rectè posint consistere ratione proprietatis ad dictum Nicolaum filium venditorem expectantis sequitur cesionẽ vsusfructus vergere necessario in vtilitatem eiusdem filij; sed potius emptoris: & saltem est verum dicere rem ipsam, non restitui filio contemplato, sed alij extraneo: quo casu non ita vrgent rationes quæ militant, vt filijs posit fieri restitutio ante tempus fideicommisi in damno creditorũ, cum plura in damnum filiorũ, hac via possent cõtingere, & deinde verius adhuc videtur non posse grauatum ante tempus a testatore designatum filijs restituere res fideicõmisso subiectas, quia etiam inter coniunctos facilè animus fraudandi præsumatur, & fraus etiam sit in tempore, & sufficit fraudem re ipsa contingere, & etiam cessante animo fraudandi. Et aliàs atten. conten.

SIG✠NVM mei Augustini Perez Ouiedo, Ciuitatis Cæsaraugustæ domiciliati, authoritateq; Regia per totũ Regnum Aragonum publici Notarij, ac Secretarij substituti Consilij Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, pro magnifico Ioanne Martino de Mezquita, Secretario principali dicti Consilij, qui huiusmodi vota, & motiua à libro motiuorum eiusdem de anno millesimo sexcentesimo vigesimo octauo, vbi continuata existunt fideliter sumpta, & collationata extraxi, in quorum omnium fidem meo solito signo signaui, approbo enmendatum vbi legitur v, & suprapositum vbi legitur Ferdinando de Azcon.